

Handwritten notes or marginalia in a smaller script, possibly Gothic or a similar medieval hand, located in the upper center of the page.

Main text block in the upper left quadrant, written in a medieval script. The text is partially obscured by a watermark or stain. Legible fragments include "die... Con..." and "halom..."

Main text block in the upper right quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the middle left quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the middle right quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the lower left quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the lower right quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the bottom left quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."

Main text block in the bottom right quadrant, written in a medieval script. Legible fragments include "die... die... die..." and "die... die... die..."





TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:



DISPUTATIO PRIOR  
DE DIVINA  
PRAEDESTINATIONE.

Quæ, Deo auxiliante,

PRÆSIDE

REVERENDO VIRO, IACOBO KIMEDONCIO, S. Theol.  
D. & Professore in Academia  
Heidelbergensi,

RESPONDENTE

JACOBO CORNELI, MID-  
delburgensi, Zelando,

*Ad diem VI. Maij habebitur, loco  
& horis consuetis.*



HEIDELBERGAE,  
Typis Abrahami Smeismanni.  
cl. l. x. cii.



P R A E S T A N-  
TISSIMIS VIRIS, DO-  
MINIS CONSVLIBVS,  
SENATVIQVE AMPLISSIMO  
INCLITÆ MIDDELBVR-  
GENSIUM REIP. DOMINIS  
HONORATISSIMIS, ET  
MOECENATIBVS  
SVIS BENIGNIS-  
SIMIS,

HAS DE DIVINA PRAE-  
DESTINATIONE THE-  
SES, IN PERPETVAE OB-  
SERVANTIAE ET GRA-  
TITVDINIS DEBITAE  
TESTIMONIUM,  
DICAT ET  
CONSECRAT

*RESPOND.*





II

# DE DIVINA PRAE- DESTINATIONE.

*Thesis I.*



**V**ERBUM prædestinare, quòd Græcis est *προορίζειν*, ex quo *προορισμός*, significat determinare, decernere, & constituere aliquid antequam illud agas. Idcirco secundum Grammaticam vocabuli significationem, potest prædestinatio Dei generatim extendi ad universa quæ sunt & fiunt in mundo: definieturq; , æternum Dei de rerum omnium gubernatione decretum, quod Providentiam appellare solemus.

I I.

Sed omissa generalissima hac significatione, quæ nonnunquam tamen occurrit apud autores, restrictiùs á quibusdam considerari solet divina Prædestinatio, quatenus in genere circa creaturas rationales, salvandas vel damnandas, spectatur: puta Angelos vel homines. Nam & angelorum alios electos, alios reprobos esse constat 1. Timoth. 5. v. 21. & Matth. 25. v. 4

I I I.

Est autem Prædestinatio divina tum nihil aliud quàm præordinatio creaturæ rationalis, vel ad salutem, vel ad interitum æternum.

I V.

De hominum verò duntaxat Prædestinatione loquendo, duplex quoque vocis istius usus esse consuevit. Aliàs enim vocabulum Prædestinationis ad utrosque, electos & reprobos accommodatur, definieturq; tum Prædestinatio cum Fulgentio, præparatio operum Dei, quæ in æterna sua dispositione, aut mi-

August. in  
Enc. c. 100.  
Ad Moni-  
mum l. 2.

A ij      feri-



sericorditer se facturum præscivit, aut justè : hoc est: Prædestinatio est æternum Dei decretum, quo alios ex genere humano ex mera gratia per Christum servare, alios iusto suo iudicio ab eadem gratia reijcere, & æternùm propter peccata sua damnare constituit.

V.

Aliàs verò Prædestinatio Divina tantùm pro electione usurpatur, cui reprobatio opponitur: quomodo scriptura ubique ferè de Prædestinatione loquitur.

VI.

De præd.  
sanctorum  
cap. 10.  
De bono  
per. c. 14.

Appellatione ad hunc modum, qui omnium restrictissimus usitatissimusq; est, accepta, Prædestinationem cum Augustino definiemus, quod sit gratiæ præparatio: seu, præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumq; liberantur, cæteris in massa perditionis iusto Dei iudicio relictis.

VII.

Porrò electionis vox & ipsa *πλύσημος* est in sacris. I. sunt electiones Dei ad certum munus obeundum, Ciuile vel Ecclesiasticum. II. accipitur electio Dei pro electione ad salutem: idque bifariam, vel quæ ab æterno facta est, vel quæ in tempore fit, quæ quidem ex priore ista in mente Dei latente, manat, eiusque effectus atque executio est. III. Est & hic vocabuli usus, ut electi in genere dicantur, quicumque externa vocatione ad populum Dei pertinent.

VIII.

Et electio quidem servandorum, & ad vitam æternam ab omni æternitate prædestinatorum, re ipsa eadem



III  
eadem est cum Prædestinatione sanctorum, licet respectu quodam differat.

IX.

Prædestinatio enim denotat æternum ac firmum in Deo propositum conferendi gratiam & gloriam quibus vult. Electio autem aliquid addit, in quantum videlicet vitam æternam aliquibus præ alijs vult, cum quosdam reprobet.

Thomas  
quæst. 26.  
art. 4.

X.

Dicitur etiam dilectio, secundum illud, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

XI.

Differentiam autem inter Prædestinationem, electionem & dilectionem Dei, quæ ratione tantum differunt, realiter idem sunt in Deo, Thomas assignat loco citato art. 4. *Prædestinatio, inquit, aliquorum in salutem æternam, præsupponit quod Deus eorum salutem velit; & ad eam pertinet electio & dilectio. dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum. Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus præ alijs vult.*

XII.

Sed & hoc observandum est cum Augustino, electionem seu Prædestinationem sanctorum aliquando etiam significari nomine præscientiæ: sicut ad Rom. 8. v. 29. & cap. 11. ver. 2. Ad quem modum patres præscientiam passim pro prædestinatione acceperunt.

De bono  
pers. c. 18

XIII.

Quanquam ad proprietatem vocum istarum quod attinet, generalius est præscire quam prædestinare. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ

De præd.  
sanct. c. 10.

A iij



fuerat ipse facturus: præscit autem etiam quæ ipse non facit, sicut peccata quæcumq;. Nam quæ ita peccata sunt, ut pœnæ etiam sint peccatorum, ibi non peccatum, sed iudicium Dei est.

XIV.

Quod autem Scholastici per præscitos reprobos fermè notant, abusus est vocis contra morem scripturarum, quæ electos, ut dictum est, prædestinatos & præscitos nominare solent, non item reprobos.

XV.

Reprobationem porrò ijdem non malè definiunt præscientiam iniquitatis quorundam, & præparationem damnationis eorundem: hoc est, reprobatio est æterna in Deo voluntas, quorundam in genere humano, ubi cum alijs in peccatum & damnationem lapsi essent, iusto suo iudicio non miserendi, sed reiiciendi eos à salutis in Christo communiõne, & abijciendi in pœnas peccato debitas.

XVI.

Vt definitio hæc faciliùs intelligatur, cogitandum est, una eademque massa damnationis & offensioris nos omnes involui, & remota gratia Dei ad unam pertinere omnes conspersionem peccatorum & impiorum. Ab ea massa perditionis, quos gratia & prædestinatione sua Deus discernit, hi sunt electi: quos verò in eadem damnabili massa, iusto suo iudicio relinquit, ij sunt quos reprobos & damnandos vocamus.

XVII.

Error verò est non ferendus, dicentium omnes homines, nemine excepto, esse electos in Christo. Nam cum hominum alios fervet, alios damnet Deus, & quidem volens (quid enim fiet Deo simpliciter nolente

*hæc genus humanum in  
ipsa conspersione est.*



lente & invito? ) necessariò fatendum est, utrumque fieri secundum æternum Dei propositum. Hoc autem nihil aliud est, quam quod alios elegerit, alios reprobavit ab æterno.

XVIII.

Non dissimile est Augustini argumentum, á gratia ad prædestinationem. Quibus dona sua gratis data, fidem inquam, bona opera, perseverantiam in fide & caritate, & alia id genus, donat, etiam donaturum se præscivit, & in præscientia sua disposuit ab omni æternitate. Sed dona illa alijs dantur, alijs non. Ergo &c.

De bono  
perf. c. 19.  
& 20.

XIX.

Tertiò, ex voce electionis firmum est argumentum: aut nullam esse electionem, aut si aliqua sit electio ad vitam æternam, eam esse aliquorum duntaxat, non omnium.

XX.

Adhæc plurima eaq; valde illustria in sacris literis habemus testimonia, probandæ & electioni & reprobationi aliquorum; prout Deus ab æterno voluit illorum misereri vel non misereri. *Matth. 20. v. 23. & c. 22. v. 14. Item 24. v. 22. & 24. Ioh. 17. v. 9. & 12. Rom. 8. v. 29. & cap. 9. 10. 11. Eph. 1. & c.*

XXI.

Veniamus ad causas prædestinationis. Et materialis quidem causa sunt homines ipsi, & ea quæ Deus prædestinatis facere decrevit; ut sunt gratia in præfenti; fides, bona opera, perseverantia in bono &c. & gloria in futurum, quantum ad electos: & pœna, quantum ad reprobos.

For-





## XXII.

Formam definitiones ostendunt prius allatae. Ceterum finis ultimus electionis & reprobationis est gloria Dei, in electorum salute misericordiam, in aliorum supplicio iram peculiariter, bonitatem tamen & iustitiam in omnibus, manifestare volentis.

## XXIII.

Rom. 9.  
Eph. 1.

Potissimum verò quaeritur de electionis & reprobationis causa impulsiva, quæ ad genus causarum efficientium refertur: Possitne aliqua assignari causa, quæ Deum ad eligendum, & reprobandum moverit?

## XXIV.

Quod dupliciter accipi potest: vel in thesi, cur nimirum alios elegerit, alios reiecerit? vel in hypothese, de cuiusq; electione vel reprobatione: quare hos elegerit, & illos reprobarit? puta, cur Jacobum præ Esau, Mosen præ Pharaone, Petrum præ Juda elegerit?

## XXV.

Et primæ quidem quaestionis rationem reddere est ex fine prædestinationis. Quoniam enim in servandis finis ultimus propositus est Deo, misericordiae manifestatio, iustitiaeque in damnandis: & verò finis quatenus ad agendum movet, rationem habet causæ efficientis; idcirco hæc tùm misericordiae, tùm iustitiae, id est, bonitatis & gloriae Dei declaratio, efficiens quodammodo causa est, & electionis & reprobationis aliquorum.

## XXVI.

At quare hos elegerit, illos reprobarit, multi multa finxerunt. Origenes recuterebat ad bona vel mala opera animarum, ante mundi (vt imaginabatur) fabricam præexistentium. Pelagiani causam electionis & repro-



reprobationis ad prævisa opera, bona vel mala refere-  
bant. Quos imitantes Semipelagiani, dicebāt Deum  
præscium qui credituri, & in fide perseveraturi essent, Hila. epist. ad Aug.  
qui non; secundum præscientiam istam, vel elegisse  
credituros, vel reprobasse non credituros, vel saltem  
quos præsciuerit non perseveraturos. Vnde Prædesti-  
natio diuina ipsis nihil aliud erat, quam propositum  
Dei eligendi credituros.

XXVII.

A quorum definitione parum aut nihil abesse vi-  
dentur, qui totidem verbis scriptū reliquerunt, *fidem* Iac. And. Colloq. Momp. fo. 518. Hub. th. 786 & seq.  
*esse causam electionis. Et, Deum præscium ab æterno, qui sint*  
*recepturi gratiam & permansuri, qui non, electioni suæ sub-*  
*strauisse hypothesein, seu conditionem istam, ut qui credunt in*  
*Christum, salvi sint.*

XXVIII.

Verum, siue operum siue fidei præsciētia causa po-  
natur electionis, prauus error est: cū sacris litteris  
euidenter doceamur, non bona solum opera, sed & i-  
psam fidem, atq; ipsum adeò initium fidei & volunta-  
tem credendi, esse ex mera gratia, & non tanquam ex  
nobis. *Quid enim habes, quod non accepisti? Item, sine me* 1. Cor. 4. Ioh. 15.  
*nihil potestis facere, ait veritas.*

XXIX.

Nos ad quæstionem, cur ab æterno hos elegerit, il-  
los reprobarit Deus, nihil aliud habemus assignare  
responsi, præter meram eamq; liberrimam & æquissi-  
mam voluntatem atq; beneplacitum eius, qui mise-  
retur quorū vult, & indurat quos vult. Miseretur scili- August. ad Laur. c. 99.  
cet magna bonitate, & obdurat nulla iniquitate: quo-  
niam in quo non fit misericordia, in eo non fit iniqui-  
tas, sed iudicium.

B



XXX.  
Et multis Paulus noster, tanquam scriba doctissimi-  
mus in regno cœlorum, è thesauro suo prolatis novis  
& veteribus, sententiam propositam confirmat, in  
gravissima illa disputatione ad Rom. quemadmodũ  
etiam ad Eph. i. *electos nos inquit in Christo, antequam  
iacerentur mundi fundamenta, ut simus sancti & inculpati  
coram eo per caritatem. Qui prædestinavit nos quos adoptaret  
in filios per Jesum Christum in sese, pro benevolò affectu volun-  
tatis suæ; quod græcè est valde significanter, κατὰ τὴν εὐ-  
δοκίαν τῆς θελήματος αὐτοῦ.*

XXXI.

Proinde interrogantibus, cur Deus hos elegerit,  
illos non elegerit, verissime & optime respondetur,  
quia sic ipsi placuit. Quomodo & Christus non aliam  
affert causam Euangelij absconditi à sapientibus, &  
revelati parvulis, nisi *εὐδοκίαν* patris.

XXXII.

Et sanè, si diligenter spectemus in scripturis, quæ  
de causa prædestinationis traduntur, videbimus ea  
recidere ad ista fermè capita: videlicet *ad beneplacitum  
& voluntatem Dei*, quæ ambæ voces ad Eph. coniun-  
guntur: *ad propositum ipsius, quod est secundum electionem,*  
ad Rom. 9. *Ad potentiam item,* dicente Apostolo, *Nonne  
potestatem habet figulus? Deniq; ad misericordiam & dile-  
ctionem Dei,* cum ait: *Non est volentis neq; currentis, sed mi-  
serentis Dei. Et, Jacob dilexi, Esau odio habui.*

XXXIII.

De operibus autem factis vel faciendis ne verbum  
quidem facit scriptura in hoc negotio, nisi vt semper  
ea excludat, sicut à vocatione & justificatione, ita et-  
iam ab electione.

Huc



XXXIV.

Huc & illud facit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*  
Nam teste Augustino, si eligeremur á Deo, eo quod De præd. sanct. c. 17.  
præsciverit nos credituros, non autem quod ipse fa-  
cturus fuerit credentes, procul dubio nos ipsi prius  
eum eligeremus, credendo in eum, ut eligi merere-  
mur ab eo. Aufert id omnino qui dicit: Non vos me e-  
legistis, sed ego vos.

XXXV.

Quod ad reprobationem, falsum est nos docere, si- Hub. th. 350.  
cut quidam malitiosè de nobis fingunt, propter pec-  
cata aut incredulitatem, tãquam causam *ωεκαταρξι-*  
*ων*, neminem damnari. Contrarium enim semper Zanch. de nat. Dei. 669. Admonit. Neostad. p. 133. Beza resp. 2. ad colloq. Momp. fol. 223.  
docuerunt nostri, de nemine sumpturum Deum pœ-  
nas, neminemq; ab ipso damnatum iri, nisi ob pecca-  
tũ. Nec enim pœna locũ habet, nisi peccati respectu.

XXXVI.

Deinde & hoc verũ est: sicut Deus non damnat  
nisi peccatores, & damnationem ob peccata meren-  
tes, sic etiam non nisi propter peccatum damnare de-  
creuisse. Nam quicquid suo tempore facit Deus, id  
etiam ab æterno facere constituit, eo quò fit modo.

XXXVII.

Atq; hinc rursus apparet doctrinæ nostræ depra-  
vatio per adversarios, cum fingunt nos docere, Deũ  
sine respectu peccati, sola & absoluta sua voluntate &  
decreto aliquos damnationi addixisse. Imo decre-  
tum est Dei de damnandis tantũ peccatoribus, &  
quidem propter peccata.

XXXVIII.

Verũ enim cum omnes simus peccatores, & rei  
damnationis æternæ, cur hos ad gloriam gratis dan-



dam, illos ad pœnam iusto iudicio propter peccata infligendam prædestinavit, huius nullam habemus afferre rationem, præter unicam eamque liberam & iustam Dei voluntatem.

XXXIX.

Expof. in  
p. ad Rom.

Id ipsum sibi vult quorundam distinctio, inter decretum prædestinationis, cuius nulla sit causa nisi voluntas Dei, & executionem decreti, cuius causa sint peccata damnandorum; sicut & Thomas scribit, præscientiam peccatorum posse dici aliquam rationem reprobationis ex parte pœnæ præparatæ reprobis: in quantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ à seipsis habent, non à Deo.

XL.

Aug. De  
bono perf.  
cap. 8.

Hic verò compescendus est oculus ille nequam adversus Deum murmurantium, tanquam injustum & acceptorem personarum. Nam utrumq; iustum est, sive debitum creditor exigat, sive donet debitori, dummodo sine cuiusquam fraude: injustum verò demum, exigere non debitum. Si ergo in remittendo debitum bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam apud Deum iniquitas reperitur.

XLI.

Ad Simpl.  
lib. 1. q. 2.  
Idem epist.  
105.

A quibus autem exigendum, & quibus donandum sit debitum, superbè iudicant debitores. Dei est exigere à quo placet, & donare cui placet: qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. Nostrum est hoc tam magnum profundum adorare potius, quam scrutari, ut caveamus præcipitium: dicente Apostolo; *O altitudo sapientie.* Item, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Num figmentum dicet figulo &c.*

Ado-



XLII.

*Adorandus Deus est, non iudicandus*, ait Tertull. gra- Lib. 2. cap. tra Mat- cion.  
viter increpans divinitatis censores, dicentes: sic non debuit Deus: & sic magis debuit. Sed stultum Dei, sapientius est hominibus. Et tunc maximè magnus est, cum homini pusillus: & maximè justus, cum homini injustus, ait ille.

XLIII.

Porro effectus divinæ electionis principaliores sunt Rom. 8.  
quatuor: nimirum Christus, tanquam Mediator & Pontifex, cum toto opere suæ humiliationis & gloriæ: tum vocatio efficax ad Christum: justificatio item & glorificatio.

XLIV.

Christus sanè nostri cùm Deo conjunctionis, ideoque omnis nostræ beatitudinis unicum fundamentum est, ut non immeritò Paulus testetur, nos in Eph. 6.  
Christo electos: hoc est, ut ipsemet interpretatur, nos prædestinatos ad adoptionem in filios, aliaque cœlestia bona, per & propter Christum consequenda.

XLV.

Cum igitur aliquorū Deus vellet misereri, ad hoc autem Mediatore idoneo opus esset, qui sua morte & satisfactione, placata ira Dei, justitiā & vitam amissam iis acquireret, partamque salutem tueretur ac conservaret: æterno & verè paterno consilio suo ordinavit, ut filius patri consubstantialis & coæternus, assumpta in plenitudine temporis natura verè humana, pro peccatis nostris moreretur, & resurgens à mortuis, ad dexteram Dei regnaret atque interpelleret pro nobis.



XLVI.

1. Pet. 1.  
v. 20.

Hinc Petrus etiam testatur de agno illo immaculato & incontaminato, patefactum quidem fuisse ultimis temporibus propter credentes, præordinatum verò ante iacta fundamenta mundi.

XLVII.

2. Tim. 1.  
vers. 9.

Vocationem, quajam prædestinatio hominis impleri & manifestari incipit, Paulus non obscure ponit effectum donationis gratiæ ab æterno, id est prædestinationis, inquit, *Vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo ante tempora secularia.*

XLVIII.

Rom. 8.  
Matth. 20.  
& 22.

Loquimur nunc de interiore, eademque efficace ad Christum vocatione, electorum propria: quam Paulus appellat vocationem secundum propositum: & nõ de illa, de qua dictum est: *Multi vocati, pauci electi.*

XLIX.

Ea vocatio nihil aliud est, quàm divinus quidam gratiæ instinctus, quo movetur homo ad fidem & conversionem: fitque talis vocatio partim verbo, partim & principaliter, afflatu Spiritus sancti, corda intus illuminantis & moventis.

L.

cap. 3. & 16

Inde Augustin. de præd. sanct. *Illam vocatio secundum propositum Dei, non omnium est qui vocantur, sed tantum electorum. Hos Deus vocat, ut faciat eos membra filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias, sed qua vocatione fit credens.*

LI.

Hinc sanè, inquit ibidem Aug. cum Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt, imò



imò contradicunt. Nam qui credunt prædicatore fo-  
rinsecus sonante, intus à patre audiunt & discunt: qui  
autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt,  
neq; discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non  
datur: quia nemo inquit, venit ad me, nisi pater tra-  
xerit eum. Ioh. 6.

LII.

Sed cur non omnes ita trahit: Quia miseretur quo-  
rum vult, & indurat quos vult: iudicio utiq; justissimo,  
quoniam apud Deum nulla est iniquitas. Quare au-  
tem hunc trahat, illum non trahat, inscrutabilia sunt  
iudicia eius. Ideò noli hoc velle iudicare, si non vis er-  
rare. Aug. super  
Ioh.

LIII.

Caveantur autem hoc loco insidiæ Pelagij, quasi  
vocatio Dei tantum sit, quæ verbo intrinsecus fit: Pa-  
pistarum item, quasi homo ante fidem & conversio-  
nem seipsum ad gratiam præparet, imò gratiam pro-  
mereatur de congruo, ut loquuntur. Aug. hæc  
88.

LIV.

Vitandus quoq; error, quasi vocationis huius ef-  
fectus in hominis potestate situs sit, ut si nolit homo  
frustra Deus misereatur. Imò si nolit homo, & oblata  
gratiæ reluctari pergat, nihil certius est quàm vocati-  
onis huius nec dum esse participem. Etenim effica-  
cissima est Christo teste, *Omnis qui audiuit à patre meo &*  
*didicit, venit ad me.* Ioh. 6.

LV.

Iam reliqua duo, justificationem & glorificationē,  
tanquam effecta ex electione manare, minimè dubiū  
est: quia expressè Paulus. *Quos predestinavit, vocavit:*  
*quos vocavit, iustificavit: quos iustificavit, glorificavit.*

Cate.



LVI.

Cæterum reprobationis Dei, qua ab æterno non eligendo quosdam reprobavit, effectus secundum duo considerantur, quorum alterum hîc reprobis adheret, alterum subsequetur eos in futurum. Sunt autem hæc, æterna damnatio, & desertio, quæ & induratio & excæcatio, quibus injustis justus Deus ulciscitur.

LVII.

Infidelitatem autem & alia peccata reproborum ab æterno præscivit quidem ille quem nihil latere potuit futurorum, neminem tamen ad peccandum prædestinavit. Nam secundum regulam Prosper. *præscivit tantummodo, non etiam prædestinavit Deus, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.* Et scite August. *peccata non instruere novit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire.*

Alia huius loci aliâs, Deo volente.

FINIS.





Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767




s. b.

WDA







... d... h... m...  
 ibi... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...

... d... m...  
 ... d... m...





DISPUTATIO PRIOR  
DE DIVINA  
PRAEDESTINATIONE.

Quæ, Deo auxiliante,

PRÆSIDE

REVERENDO VIRO, IACOBO KIMEDONCIO, S.Theol.  
D. & Professore in Academia  
Heidelbergensi,

RESPONDENTE

JACOBO CORNELI, MID-  
delburgensi, Zelando,

*Ad diem VI. Maij habebitur, loco  
& horis consuetis.*



HEIDELBERGAE,  
Typis Abrahami Smeismanni.  
c1o. 1o. XCII.

